

C A P I T A N A T A,

olim

A P V L I A D A V N I A.



Rentanos sequitur ea Italiae pars, quae Frentone amne, Hirpinorumque finibus & flumine Bradano marique cincta, à Romanis in tria nomina distinguebatur; *Apuliam*, *Calabriam*, & *Salentinos*. At

Græcis, non tantum antiquissimis, sed posterioribus etiam vocabatur Iapygia: quæ in tres divisa fuit partes; in *Dauniam* scilicet, quæ proxima erat Frentanis Hirpinisque, & de cætero, Aufido vulgo *Ofanto*, Frentone fluminibus, & sinu Adriatico clauderetur: *Messapiam*, quæ extrema, à Tarento Brundisioque, in peninsula erat: & *Peuceciam*, inter utramque sitam. *Daunia* igitur est illa quam hodie incolæ *Capitanatum*, vulgo *Capitanata* vocant, à quodam Basilii Imperatoris, ut volunt, *Capitano*. Dicitur item Italis *Puglia Piana*, *Plana* ab latissimis campis, & majore, quàm in *Peuceciis*, æquore agrorum, qui fertiles hic supra modum tritici aliorumque frumenti generum. *Daunia* nomen habet ab antiquissimo vel Rege, vel Duce, *Daunio*, *Diomedis* focero; qui, ex *Illyrica* gente vir clarus, patria propter seditionem excedens, hanc Italiae partem occupavit, eamque cum genere *Diomede* est partitus. *Apuliam* autem nonnulli dictam opinantur ab *A* privativa particula, & *Pluvia*, tamquam *Apluvia*; & lepidam rationem addunt, quod in ea rarissime pluatur. Alii nomen ab *Apulo* Rege volunt ortum, hæc multis ante bellum Trojanum ætatibus profecto. *Apulia*, inquit *Diaconus* libro 11 rerum *Langbard.* cap. xi, à *Perditiōe nominatur.* Citius enim ibi Solis fervoribus terra virentia perduntur. Sed ad specialiora jam nunc me conferam.

Apulia divisio.

Fines.

Nomen.

Flumen.

Incipiam autem ab Aufido, flumine ejus præcipuo, quod *Peuceciam* à *Daunia* separat. Solus *Apenninum*, in quo nascitur, secatur. *Apulia* utraque divisa *Hadriatico* mari illabitur. Naturam ejus, rapidumque currentis varietate se finuantis cursum describit *Horat.* lib. 1, Sat. 1,

Quum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.

Memoratur præterea *Polybio*, *Livio*, *Virgilio*, *Straboni*, *Melæ*, *Plinio*, *Plutarcho*, & aliis. *Cannensis* pugna eum maxime nobilitavit.

Salapia.

Hinc veteris *Salapiae* locus invenitur, quam *Plinius* meretricio *Hannibalis* amore innotam scribit. Quod locum mutavit, coeli fecit, ut veteres auctores memorant, gravitas. Nam quot

Italia.

annis pestilentia ingruente, *M. Hostilianus* ab *S. P. Q. R.* petiit, ut urbem quaternis p. m. captandæ salubritati introrsum in continentem transferre liceret. Quo impetrato, novum opidum in mediterraneis condi cœptum, quod ab desolato prorsus priore *Salpe* nunc appellatur. *Opidum* *Episcopatus* titulo nobile. *Salapina Palus*, *Lucano* memorata, ea est, quæ hodieque, *Aufidum* flumen & *Salapiam* fere contingens, dicitur *Canal di S. Antonio*. *Salinas* porro, quarum *Itineraria* meminere, *Cluverius* fuisse circa ostium *Cerballi* amnis affirmat, ubi exiguus lacus dictus *Lago Salso*. Sed mihi verisimilius videtur ultra eundem amnem fuisse, ubi hodieque *Le Saline* sunt. Sequitur *Manfredonia*, urbs lauta sane populoque frequens, in rupe sinus marini, quem *Gargani* montis flexus efficit, sita. Condidit *Manfredus* Rex, *Friderici II* Imp. filius, anno circiter clo cc, qui *Manfredoniam* ab se denominavit, quum prius locus hic *Capitanata* & *Portus* vocaretur. conditam constat ob *Siponti* interitum; translata etiam eo *Archiepiscopi Sipontini* sede; unde *Sipontini Antistitis* nomen hodieque manet *Manfredoniano*. Inviatam ad litus habet arcem. Moles extra muros in mari jacta, magnæ artis opus, securam præstat stationem navibus, in quas per gradus descenditur. Nobiles ibi familiæ: *Avantaggio*, *Beccarino*, *Caracuzolo*, *Cessa*, *Calvano*, *Festa*, *Florio*, *Gentile*, *Minadoi*, *Nicastro*, *Selvagio*, & alia. Ab *Manfredonia* peroram incedenti *Siponti* ruinæ ostenduntur. *Siponte* hodieque. Dicta urbs, ab multitudine *Sepiarum*, quæ hic in litus ejiciuntur; quod & hodie videre est. Hoc tempore plane collapsa jacet; monstrantibus nihilominus rudibus veteris urbis magnificentiam. Summum civitatis templum adhuc omnibus suis partibus fere integrum. *Sipontum* *Coloniæ* Romanorum fuisse dictam notat *Livius*. Interitus varie narratur; aliis alio referentibus, ad *Saracenorum* irruptiones, ad terræ motuum violentiam.

Manfredonia.

Ascendamus *Garganum*, qui hodiè monte di *S. Angelo*. Præcellus valde est & adscensu difficillimo, silvis quibusdam peramœnis confitus, herbisq; medicis & salutaribus scatens. Latere, quo mare spectat, promontorium habet, in exortum spatio ccc stadiorum procurrens. Incipit ab *Apennino*, ex cujus radicibus jugum enascitur editissimum, latitudine p. m. duorum, longitudine viginti: post quod ita paulatim mons ipse assurgit, ut in summam altitudinem, vastitatem, amplitudinemque desinat. In mare tam longe protenditur ut ambitu radicem, quam

Garganus mons.

N n n n

plani-